scientiæ,videndus est nouissime Magist.Palat. *lib.5.de cont.act. & resist.c.1 in 11.concl.pag.* 400. *& seq.*

SVMMARIA.

1 *Retractus iure sanguinis, an attento iure Regio habeat locum in re immobili locata, vel emphyteusi ad longum tempus,vel ad perpetuam pensionem , vel iure census perpetui concessa? Late examinatur:resoluitur cum communi negatiue.*

2 *Leges Regiæ de retractu loquentes,sunt exorbitantes& odiosa,& ideo restringendæ:quia sunt contra ius commune.*

3 *Si in contractu emphyteusis constitueretur immodica pensio , ingens vero pretium in pecunia , censebitur venditio,eritq;locus retractui , tanquam fraude admixta in emphyteusi.*

4 *Quoties in contractu emphyteusis vel rei dationis ad censum pensio constituta redimibilis est,habet locum retractus.*

5 *Præcedenti casu consanguineus à die conuentionis retrahere poterit,non expectata redemtione.*

6 *A quo tempore incipiant tunc currere nouem dies concessi ad retrahendum,& nu.7.*

Lex 7. & sequentes, de retractu iure sanguinis agentes,tit.11.lib.5. Nouæ Collect.Reg.

QVÆSTIO CXLV.

QVÆRO † *an retractus ratione sanguinis habeat locum,attento iure nostro Regio; in re immobili locata, vel in emphyteusi ad longum tempus , vel ad perpetuam pensionem , vel iure census perpetui concessa?* Et in hoc communis & receptissima sententia Doctorum est, minime his casibus habere locum retractum duabus rationibus præcipuis;quarum vna generalis est comprehendens omnes supradictos casus, nempe quod in in eis dominium directum nõ alienatur,sed remaneat penes concedentẽ,vtile enim tantũ est,quod in extraneum transferatur , at vero dominium directum potentius est,quam vtile:Secundo in alienatione tantum temporali concludit,nempe in locatione vel emphyteusi ad longum tempus,non vero in perpetua , nempe quod in temporali res non exeat de familia, nec de cognatione.Imo finita locatione aut emphyteusi , ad ipsam familiam omnino redit. Quamobrem cessat ratio vltima & finalis Regiæ constitutionis,quæ proximiori cognato hoc ius retrahendi concedit intra nouem dies : Qua ratione perpensa , videbatur contrarium dicendum in locatione & emphyteusibus perpetuis , vel in datione rei iure census itidem perpetui,cum tunc res minime redire debeat ad familiam: nisi & hoc casu prima ratio supra adducta vrgeret ad idem iudicandum, quod in prædictis concessionibus temporalibus , nempe ad longum tempus , quia tunc dominium directum,quod potentius est, non alienatur , sed remanet penes concedentem , atque ita hanc opinionem probarunt Nicol. Boer. & alii quos refert & in vnum congerit Doct. Couatru. *lib. 3. variar.resol.cap.11.nu.3.* professus hoc esse receptum frequentissima omnium sententia: quod & facit Matien. *in hac l.7.gl.o.1.n.10.& seqq.,præcipue nu.14.* vbi dicit esse tenendam hanc communem &receptissimam sententiam,quam etiam allegat tenere Doct Castell.*in l.27. Taur glo magn.col 5. & in vers. hinc etiam posset dici.*

Sed contra hanc receptissimam sententiam eiusq; rationes,aliæ duæ ex aduerso,& in oppositum pugnãt, quæ in puncto iuris forsan contrariam sententiam veriorem videri facient,imo quod in supradictis casibus sit locus retractui.Prima, quia licet verum sit eisdem casibus dominium directum , quod potentius est , remanere penes condentem , & vtile tantum ealiani: attamen cum hoc vtile alienetur,& sit iam separatum à directo,& respectu eiusdem vtilis dominii res exeat de familia,quare propinquior consanguineus non admittetur ad hoc vtile tantum dominium retrahẽdum, vt idem iuris in re habeat, quod extraneus?

Qua ratione Matth.de Afflict. *in tractu.protomis. in princ.l nu.7.vol.5.tractu diuer Doct.fol.516 .*tenet. quod si emphyteuta vendat domũ , quam habet in emphyteusin,& Dominus directus nolit ipsam emere vicinus potest illam retrahere:quia ex quo vendidit illud vtile dominium, in eo habet locum retractus iure cõgrui,siue emphyteuta sit ecclesiæ vel priuati:idem ratione sanguinis tenet Albornoz *libr.3. Del arte de los contratos,tit.3 de retract fol.119.col.2* Fateor tamen potentius esse dominium directum vtili,atq; ideo semel hæc dominia consolidata distingui non posse , *iuxta tex.in l.si tibi .ff quib mod.vsus fructi.amitt & in l.is cuius ff.de lega* 2. Attamen cum vnum separatur ab alio in prædictis cõcessionibus & alienationibus,quid vetat, vt dominium vtile alienatum extra familiam retrahi non possit.Secũda ratio est quia hæc datio in emphyteusin vel censum maxime perpetuum quædam est alienatio,*vt in l.fi.C.de reb.alie.non alien.& ibi D.D & in l.1.ff.si ager vecti,vel emphy pet* & traditione ad censum perpetuum transfertur dominium vtile & directum, *vt post alios resoluit Doct. Couar.lib 3 var.resol.cap.7.n. 1.& Anton.Gom.in l.68.Taur.n.9.2.tradunt Doct in cap. constitutus,de relig dom.* Item ex locatione ad longum tempus & maxime pepetua , transfertur non solum dominium vtile,*vt notatur in dict.l.1. & alibi sæpissime*, sed etiam possessio, *iuxta gloss.in l.3. §. ex contrario, & in l.si quis ante,& ibi Alexand super gloss.verbo, nouissime ff de acquirenda possessione* , & ita prædicta locatio continetur sub prohibitione alienationis , *iuxta gloss. in Clemen.1. de reb eccles.non alien.*quæ est communiter approbata , & alia quæ contratium tenet *in codicillis, §.institute,ff de legat.2.*communiter reprobata, *secundũ Tiraquell.lib.1.de retract.lignag.§.1.gloss.10.nu. 79. & Anton.Gom in l.40.Taur. nu.84.& Doct.Couarru.lib.2. variar.resolut cap.16.nu.3.in fine.& Arias Pinel. in l.1. C.de bon.mater.3 part.n.64.*Cum igitur locatio ad longum tempus,& maxime perpetua,& concessio in emphyteusin vel censum perpetuum,sint alienationes,& leges nostri Regni permittant retractum iure sanguinis proximioribus in re vendita vel alienata : consequens est vt prædictis casibus nostræ quæstionis eædẽ leges locum habeant,cum eadem ratio in eisdem militet: & ita hanc sententiam aduersus communem probauit Couar.*dict.lib.3 variar.resolut.cap.11.num.4.* cum Ferrono, quem refert idem tenente, semotis consuetudinibus,dicens, æquius esse,& Regiæ constitutioni admodum conueniens , quod proximus ad hunc retractum veniens , & cum eodem onere rem recipere volens omnino admittatur , quam expresse etiam sequitur Albornoz *vbi supra.*

Nihilominus tamen cõmunis & receptior opinio est in contrarium,vt supra vidimus nempe vt in prædictis casibus non sit locus retractui, quæ in praxi seruanda erit,nec enim in ea auderẽ aut iudicare aut cõsulere contrarium : sed communem sententiam amplecteret,quæ etiam hac ratione fulciri iure poterit, quod omnes leges nostræ Regiæ permittentes retractum iure sanguinis, loquuntur atq; cum concedunt in rebus immobilibus patrimonii vel auitis venditis, at vero appellatione venditionis simpliciter factæ intelligi debet de directo dominio simul cum vtili,& sic deomnimoda rei alienatione,vt stet in potiori significatu: Licet enim & dominiũ vtile tantũ vendi possit, remanere directo penes venditorem , vt in prædictis casibus nostræ quæstionis, non tamen eo casu leges nostræ loquuntur, sed simpliciter, quando res immobiles videntur: & sic quando pleno iure atque omnimodo vẽditur,vt sonat† verbum, *venditio* , generaliter &indistincte prolatum.Præterea huiusmodi leges Regiæ de retractu loquentes, sunt exorbitantes & odiosæ,& ideo restrigendæ: quia contra ius cõmune sunt, *vt is l.dudum,C.de contrah.emt. & bene probat Ant.Gom. in l.70.Taur.n.1* &constat etiam ex traditis per Tiraq. *lib 1. de retract.lignag.in prafatione, n.16. & 60. seqq.*tenet alios allegans Doct. Burg.de Paz *cons.30.n.1.* Idq; est receptius, licet alii contrarium existiment, nempe retractum esse fauorabilem , & non contra ius , quos refert idem Tiraquell.*ibid.nu.25.& seqq* Vlterius conductio ad longum tempus, non est proprie alienatio, *vt probat Couar.lib.2.var.resolut.c.1.n.2* Ex quibus fit, vt in datione ad censum perpetuũ,quoties in ea transfertur simul dominium vtile & directum , communis præfata sententia suspecta sit,cum tunc sit omnimoda alienatio.

3 Supradicta†tamen recepta sententia limitanda erit, quoties contractus emphyteusis fieret in fraudẽ legis, putã si in eo constituatur medica pensio , ingens vero pretiũ in pecunia:quia tũc censetur esse vẽditio,eritq; loc° retractui,*vt voluit Ioan. Fab.in §.adeo.n.1.Instit. de loca. Matth de Affli decis.Neap.71.n.9.& 10.* quem refert & sequitur generaliter, loquens, qũ contractus emphyteusis in fraudẽ legis fit, *Couar.vbi 3.n.1.in vers. nisi sit contractus*,sed idem in exẽplo proposito sequitur Matienc.*in præsenti dict gl.o.num.10.Allegans Ioan. Igneum,Carol.Molin.& Tiraquel.hoc idem tenentes.* Si vero pensio competens sit,quamuis minor , quam res ipsa mereatur , censeri debet contractus emphyteuticus, atque ideo non erit locus retractui *secundum supra dictos.*

Secundo †limitanda erit præfata frequentior sententia,quoties prædicta pensio in emphyteusi vel censu constituta,ex pacto redimibilis sit: tunc enim cũ dicta redemtio contingere possit,atq proinde res auita & patrimonialis ex ea caussa ad extraneos deuenire,cognatis exclusis,retractui locus erit,vt cumque ea redemtio contingere possit. *vt probat Doct. Couar. vbi supra numer.4.aduersus Matth.de Afflict.dict.decisio .2. num* 8.Eandem limitationem prius tenuit Doct Castell.*in l.74.Taur.in gloss.magn.colum.7.in quæstione incipiente sed pone quod quis , in versic. secundum fuit contractus,ad fin.*

5 Quinimo †hoc casu statim à die ipsius conuentionis,non expectata redemtione,proximior consanguineus rem vẽditam retrahere potest,ex eo quidem, quod census ab eis detur non sub pensione perpetua, sed redimibili *vt tenuit expresse Tiraq.lib 1.de retract lignag 9. 33.gl.vnic.& §.1.gl.1.n.35.& Chassa in consuet. Burg. tit. de retract.§ le vendetur,in princip. quos refert & sequitur Couar.vbi sup.n.6.in vers quarto,idem apparet*, vbi refert rationem huius sententiæ,*& Matth.de Afflict.in tract. protomis.3.licet enim sup.diximus,col.6.vers. sed quæro de quadam vtili quæstione*, nempe quod si hoc casu retractui locus non esset,fraus legi &retractui fieret passim ac facillime,siquidem emtor rem in censum accipiens à Domino sub pacto redimibilis pensionis,clanculum pretium solueret,pensionemque redimeret , eaq; cautela consanguineos à iure retractus excluderet, quos, vt ob supra dictam rationem habeat locum hoc casu retractus,sequitur Matienc.*in hac l.7.gl.1.nu.25.& 26.* quamuis Doct.Castill. *vbi supra*, aliud in nostro proposito sentiat,nempe tunc retrahi posse hoc casu,cum pensio redimitur,quia tunc perficitur venditio.

6 Ex † quibus deducitur , non solum hoc casu posse proximiorem consanguineum statim à die ipsius conventionis,non exspectata redemtione , rem prædicto modo venditam retrahere , vt modo resolutum cum quibusdã ibi relatis aduersus Castel.sed etiã quod nouem dies à nostris legib.Regiis dati ad retrahendũ,incipiant currere prædicto consanguineo proximiori à die ipsius venditionis , vt latissime octo fundamentis probat hanc sententiam Doct.Couar.*vbi supra n.5. & seqq* dicens *col. fi. vers. quamobrem* , hanc sententiam (potius quam contrariam,à se à princip.illius cap.*vsq; ad d.n.5.* fundam)in praxi seruandam esse , nisi quandoq; ex negotii qualitate visum fuerit iudicibus fraudem cõuentioni subesse eamq; contigisse ad effugiendum prædictum retractum,quia tunc à die redemtionis currere incipient prædicti nouem dies.

Sed hanc præfati Dñi Episcopi sententiam ipse libenter probo,quoties contractus venditionis rei immobilis principaliter agitur pro certo quodã pretio, ea adiecta cõditione , quod interim dũ pretiũ nõ fuerit solutũ,emtor constituat certã pensionẽ annuã iure annui reditus redimibilem quotãnis soluendã dominio vtili in emtorem statim translato , directo vero à venditore retento,quod ad vsq. census redimatur:quia hoc casu expressim ab initio cõtractus venditionis vtriusq;dominii rei venditæ,tã directi , quã vtilis pure fit, habita fide de pretio, & ob id directũ dominiũ remanet suspensum apud venditorẽ quousq; pretiũ soluatur interim certa pensione soluẽda, quo casu retractum habere locum iure optimo,late comprobat Matien.*in hac l 7.gl.1.n.20.& seqq.* Idemq ; esse existimo, quoties cõtractus censualis principaliter agitur, eodẽ tũc instrumẽto in continẽti additur pactum,vt eadem pensio redimi possit:tunc enim cũ facultas redimendi oriatur ex eodẽ contractu,& sit pars pretii, merito vt ex tũc,hoc est,à die celebrati cõtractus,incipiẽt prædicti nouem dies ad retrahendum, non exspectata ipsa redemtione,ratione præd.ex Matth.de Afflict. recitata:In hisq duobus casibus concludunt, & locũ habent pleræq;ex rationibus, quibus Couar. *vbi sup.* probare contendit præfatam suam sententiam in hoc puncto: Quininimo in principio illius cap.formans quæstionẽ in duobus casibus expressim loquitur, eumq; sequitur Matienc.*in hac l.7.gl.6.n.44* aduersus Tiraq.quem refert *ibi de tract.tit.2.§.1.gl.vn.n.8.& seqq.* qui tamẽ ibidem minime loquitur in prædictis duobus casibus, sed in diuersis,in quibus non meretur reprehendi.

7 Verum † vbi cõtractus censualis perpetuus irredimibilis celebratur, posteaq; ex interuallo seorsum ab alio instrumento fiat pactum,atq;facultas cõceditur, vt eam pensionem seu censum, quandocunq; velit redimere possit ad rationẽ talis pretii pro quolibet milliario:quod licet raro cõtingat,cõtingere tamẽ potest; tunc quidem cum circa priorem contractum,vbi nullum pactum, nec cõuentio redimendi censum interuenit,retractus locum non habeat, iuxta receptissimã sententiam supra adductam in principio huius quæstionis,licet postea prædicta facultas redemtionis cõcedatur seorsum in alio instrumento , quod communiter ac iuste ignorare solent & possunt cõsanguinei, & sic eius fraus faciliter committi posset,tunc merito quod prædicti nouem dies ad retrahendum non incipiant currere nisi à die redemtionis,quamuis si antea id scirent,possent prius retrahere, non tamen curreret tempus retrahendi, nisi à tempore redemtionis, vt prædixi.

SVMMARIA.

1 *Retractus an locum habeat in venditione census ab antiquo super re aliqua impositi? Decidit nu.2.in partem negatiuam.*

2 *Annui reditus inter immobilia computantur, etiamsi sint redimibiles: hoc tamen verum est large & improprie, cum tamen proprie appellatione mobilium sine immobilium minime veniant, sed constituant tertiam quandam speciem bonorum, sicut iura & actiones, vt in nu 3.*

4 *Consanguineus meus non potest retrahere annuii censum, quem constitui ego nouiter super re mea.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CXLVI.

1 QVÆRO † etiam *annui venditione census ab antiquo super re aliqua impositi sit locus retractus sanguinis?* Exemplum. Habeo annuum census super fundo, & aliis rebus immobilibus Petri, vendo hunc census Titio, *an meus consanguineus possit eum retrahere?* Et quod possit, facit lex, dum in venditione rei immobilis patrimonialis vel auitæ permittit propinquioribus ius retrahendi. Nam annui reditus inter immobilia computantur, *vt in Clemen exiui, §. cumq; annus reditus, de verb. sign. f.* quem tex. dicit ibi singulatem Cardii idem probat tex. *in authen. de non alienan, aut permut. rebus eccles. in prine versic. vult enim* optimus text *in l. si quis inquilines ff. de legat. 1 cum adductis à Doct. Couar. lib. 3. variar resolu. cap. 7. num. 2. versic. secundo hos annuos reditus, & latissime per Licentiatum Pelaez de maiora 1. part. quæst. 40 nu. 6. & sequentib. & Matienc. hic gloss. 1. nu. 18. & in l. 1. gloss. 1. nu. 15. tit. 10. hoc lib. 5. & in l. 2. gloss. 1. tit. 9. num. 82 & 83 lib. 5* hoc intelligens, quando sunt super re aliqua immobili constituti: Quod procedit, etiamsi hi annui reditus redimi possint intra aliquod † tempus, vel simpliciter. Ex hoc enim non desinunt esse perpetui, *vt in l. sufficit, vbi laf alia plura iura allegat ff. de condict. in deb. Tiraq. plures allegans lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 4. num 120. & latius libr. 2 §. 2. nu. 38. & sequentib. refert & aliis comprobat Pelaez vbi supra, & Matien. vbi supra.*

2 liquod † tempus,

Et in terminis ex supradictis hanc sententiam probauit Ioan. Fab. *in §. vlt. prope fin. Institut. de duobus reis, Matth. de Affict. in tractu. protomis. in princ. l. nu. 5. & 6. vol. 5. tractu. diuers. Doct. fol. 516. refert Tiraquell. lib. 1. de retract. §. 1. glo. 6. nu. 5.*

Contraria tamen sententia verior est & tenenda hoc casu, imo quod non habeat locum retractus per nostram legem quæ loquitur in hereditate, id est, in bonis immobilibus, vt sunt domus & prædia, & c. Ergo non habebit locum in venditione, census, id est, tituli vel iuris quo census percipitur, cum aliud sit vendere ipsum corpus, in quo census est impositus & constitutus, aliud vendere ius percipiendi census, *vt in l. necessario. §. fin ff. de pacic. & commod rei vendit.* & cum lex nostra sit exorbitans à iure & correctoria, non est extendenda ad alium casum, quam in eo, in quo loquitur, sicque est stricte intelligenda, vt quando minus fieri possit. noceat iuri communi, vt dicebamus in quæstione præcedenti.

3 Nec † obstat fundamentum cõtrariæ partis, nempe quod annui reditus inter immobilia computẽtur, quia hoc est improprie & large, cum proprie appellatione mobilium nec immobiliũ minime veniant, sed constituant tertiam quandam speciem bonorum, *secundum Abb. in c. nulli, n. 10. de reb. eccles. & c. late Tiraq. lib. 1 de retract. §. 1. gloss. 6. n. 3. Pinel in rub. C. de bon. mat. 1. part n. 24* vbi loquens in iuribus & actionibus, hanc testatur receptam & veriorem sententiam, sequitur plures allegans, loquens in reditibus annuis Pelaez, *vbi sup. nu. 3* & Matien. *hic d. gl. 1. n. 22.*

Et in terminis hanc secundam partem probauit & tenet Palat Rube. *in l. 70. Taur. n. 17. & 30. Doct. Castel. in l. 74. Taur. in gloss. mag. col. 4. versic. sed pone quod census & col. 6. & 7. & quos refert & sequitur Matien. in hac l. 7. gl. 1. nu. 22 & 13.* vbi ampliat etiam in annuis reditibus redimibilibus; quod licet verum sit ex supradictis, Rotæ tamen, quas ibi ad hoc allegat, id non dicunt: & ita videtur mihi tenendum, quamuis Cifuen. *in l. 70. Taur. q. 15.* quem refert & sequitur Pelaez *vbi sup. n. 11.* id admittãt in annuis reditibus redimibilibus secus vero in perpetuis, concedentes ius retractus in eisdem, ex Bal. & Matth. de Affli. quos referunt, eo solum fundamento, quod reditus annui inter immobilia computentur hoc tamen iam cessat ex supradictis.

4 Sic † etiam consanguineus meus non poterit retrahere annuum censum, quem nouiter constitui super re mea, quia ex hac venditione non transfertur in emtorem dominium directum, sed tantum hypotheca, *iuxta l. fundus quem ff. de ann. legat. & tenet Speculat. in tit. de locat. §. nunc aliqua, vers. 86. & in terminis ita tenet Doct. Couar. lib. 1. var. resol. cap. 11. n. 5. in versi. his profectis, hoc deducens ex Palat. Rub. vbi sup. nempe in dict. l. 70. Taur. nu. 17.* facit quod tradit Carol. Molin. *in consuet. Paris. 2 part. tit. 2 de censib. num. 14. fol. 136* dicens, quod consuetudo quæ dat ius retractus in Gallia cognatis constituentis census, non habet locum in huiusmodi reditibus, quia sunt bona mobilia: Imo idem erit, etiamsi in cõtractu adiectum sit, quod dominium directum in emtorem transferatur, cũ ea translatio dominii directi potius fiat ad tutiorem annui reditus solutionem & ratione hypothecæ, quam veri dominii translationem secundum Couar. *vbi supra*, quia nullum pretium pro directo dominio datur, nec id venditur, sed tantum annuus reditus, qui iuste æstimatus super certo fundo vel alia re constitutus, quam ampliationem, quamuis in alio proposito sequitur Matienc. *in hac l. 7 glo. 1. nu. 18.*

SVMMARIA.

1 *In venditione vsusfructus hoc est, commoditatis vsusfructus, non habet locum retractus iure sanguinis.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CXLVII.

QVÆRO † præterea, *an in venditione vsusfructus hoc est, commoditatis vsusfructus) locus sit retractus sanguinis?* Quod videtur, quia vsusfructus est pars fundi, atq; ideo immobilis esse censetur, *vt in l. 4. ff. de vsufruct. l. fructus, ff. de rei vend.* vel saltem inter immobilia computatur, *vt docet Bartol. in l. iusto, §. non mutat ff. de vsucap. per text. in l. corruptionem C. de vsufructu Tiraq. lib. 1. de retract. §. 1. gl. 7. n. 57.* & ita in terminis nostræ quæstionis hanc partẽ affirmatiuam tenet Matth. de Affl. *in tract protomis. in princ. l nu. 4. volum. 5. tract. Chaßan. Ferron. & Paul. Paris. allegat à Matienc. in hac l. 7. gl. 1. nu. 30.* 1

Contraria tamen opinio, & sic negatiua est verior & tenenda, imo quod hoc casu retractus iure sanguinis minime locum habeat, nempe in venditione vsusfructus, vsus vel habitationis, cum hæc iura sint incorporalia, atq; ideo non sunt proprie mobilia nec immobilia, *vt probat Tiraq. vbi sup. n. 58* sicq; in hoc casu cessat ratio legis nostræ, & quod vsusfructus vere inter immobilia, vt sũt fundi & agri de quibus hæc lex agit, minime computetur, probatur *in l. 1. §. qui seruum ff. ad Sylla. l. qui falsu, §. vlt. in fi. ff. de iniur.* & in terminis nostræ quæstionis ita tenet Alex. *cons. 12. nu 2. lib. 1. Tiraq. vbi sup. n. 60. & 61.* vbi discutit per aliquos casus & exempla cuius quæstionis, & in omnibus resoluit, non habere locum retractum iure sanguinis: Eandem sententiam sequitur Montalu. *in l. 13. tit. 10. gl. magn. col. 11. in fin. versic. item quero an habeat locum ista lex vsufru. lib. 3. for.* Hanc probat Doct. Couar. *lib. 3 variar. resolut. cap.*

cap. 11. n. 4. & eam profitetur veriorem & receptiorem Matienc. *in hac l. 7. gl. 1. n. 32.*

SVMMARIVM.

1 *Retractus iure sanguinis vt locum habeat, an requiratur, quod res immobilis venta sit patrimonialis & auita simul, an vero sufficiat, quod fuerit solius patris, vel auí? Hoc resolvitur.*

Eadem ll.

QVÆSTIO CXLVIII.

1 QVÆRO † etiam, *an ad hoc, vt habeat locum retractus iure sanguinis requiratur, vt res immobilis vendita sit patrimonialis & auita simul, an vero sufficiat, quod sit solius patris, vel solius auiverbi gratia, pater solus emit vel alio titulo acquisiuit aliquam rem immobilem, eamque vendidit extraneo, an filius possit eam retrahere iure sãguinis?* Et iste casus contigit de facto in Regali Cancellaria Vallisoleti, & fuit valde dubius, & ideo in eo fuerunt diversæ & contrariæ opiniones & sententiæ, vt refert Ant. Gom. *in l. 70. Taur. nu. 3.* qui ad vtramque partem agit articulum hunc, & tandem resolvit, quod si quis vendat extraneo in vita rem propriam, quam habuit & acquisiuit suo proprio labore & industria, non potest filius, nepos, vel descendens vẽditoris eam retrahere quia repugnant verba & ratio legũ hujus Regni hac de re agentium: si vero quis habuit & possedit rem propriam vsq; ad mortem, & eam reliquit in sua hereditate & patrimonio, tũc habebit locum retractus, si à filio (ad quem pervenit res illa aliquo titulo, puta virtute diuisionis, meliorationis vel prælegati, vel quovis alio titulo) post mortem patris vendatur, tũc enim alter filius potest eã retrahere, & hoc casu proprie verificantur & procedunt leges Regiæ & verba earum. Si vero talis res descẽdat à patre simul & auo, vel ab auo tantum & nepos vendat, poterit alter nepos eam retrahere. idémque erit secundum ipsum, si forte talis res pervenit ad filium liberis carentem. & alienet in vita: Nã tũc nepos ex alio filio poterit eam retrahere, hęc in summa Ant. Gom. qui supra dict resolutionem pluribus comprobat fundamentis. idem facit novissime Burg. de Paz *cõs. 4. n. 30. & seqq. vsque ad finem consilij*, & Matien. *in hac l. 7. gl. 1. n. 50. & 4. seqq.* vbi in omnib. supradictis casibus sequitur & veram existimat sententiam Ant. Gom. alios allegans, & dicens esse receptiorem, in eo quod asserit Ant. Gom. non requiri, quod res vendita sit simul patrimonialis & auita, sed alterutrum sufficere, propter verba nostræ l. ibi, *De patrimonio, o abolengo.* Vltra quos pro eadem sententia allego expressam *l. 15. hoc tit. 1. lib. 5. Nou. Collect. Reg.* vbi loquens lex in bonis acquisitis per venditores, decidit quæstionem nostram, dicens: *e Mandamos que no se puedan poner, ni seguir los tales pleytos, ni ayan lugar de se vedar, ni sacar tanto por tanto los bienes que assi fueron vendidos salvo quando los tales bienes fueron vendidos por personas que los ovieron heredado de su abolengo, o de su patrimonio, y los vendiessen los que assi los oviessen heredado.* vbi Matien. *gl. 1. n. 1. & 2.* inquit, ibi esse textum expressum pro prædicta resolutione Ant. Gom.

SVMMARIA.

2 *Consanguineus retrahens, si sit heres venditoris, an sit audiendus? Affirmatur.*

2 *Filius heres patris non admittitur ad revocandam alienationem a patre factam.*

3 *Heres venditoris non admittitur ad prædictum retractum, quoties ipse venditor promisisset rem tutam & securam se præstaturum, etiam adversus retractum consanguineorum.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CXLIX.

QVæro † vlterius, *an si proximior consanguineus sit heres venditoris forte decedentis infra tempus retractus, possit retrahere rem patrimonij, vel auitam à suo testatore venditam, vel si eam in vita alienantis iure retractus petiit, & postea defuncto alienante ei successit, atque heres exstitit, an litem iuste prosequi possit super retractu?* Et quod retractus cesset hoc casu, plures juris regulæ faciunt. Prima, quia heres non potest venire contra factum defuncti, *vt in l. cum à matre, & ibi gl. ordinaria, & communiter Doct. C. de rei vend. cum simil.* Secunda, quem de eviction tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, *l. vendicantem ff. de except. cum simil.* Præterea filius heres patris non admittitur ad revocandam alienationem à patre factam, *vt in d. l. cum à matre*, & hæc est communis & recepta doctrina, vt tradit, plurium legum auctoritate eam comprobans Arius Pinel *in l 1. in 3. p. n. 79. C. de bon. matern pro qua est l. expressa 24. tit. 13. p. 5.* Sed & sunt alia (infirmiora tamen) hujus opin. fundamenta, quam in terminis tenent Petrus & Anchar *in cap. constitutus, col. vlt. 4. opposit. de in integr. restitutione, & Floria à Sancto Petro inter consilia eiusdem Anchar. cons. 417. n. 2. & 4. in fi. & Bertrand. cons 7. lib. 1.* quos pro hac parte citat Matien. *in hac l. 9. gl. 1. n. 65.* 1

Verum his † non obstantibus, contrarium expresse probavit Montal. *in l. 13. gl. Nueve dias, tit. 10. lib. 3. Fo. ad medium.* gl. & doct. Ant. Gom. neminem referens *in dict. l. 70. Taur. n. 10.* & Arius Pinellus *vbi supra nu. 99. vers. fulcitur quinto*, eamque sequitur plurimos alios auctores eam tenentes referens, & dicens esse veriorem & receptiorem atque communem Matienc. *vbi supr. n. 68.* vbi optime respondit fundamentis contrariæ partis supra relatis, quibus responsionibus hæc secunda verior & communis sententia etiam probatur, vt apud ipsos facile videri potest. 2

Limitatur † tamen hæc recepta sententia, quoties vendens rem prædictam promisisset rem tutam & securam se præstaturum, etiam adversus retractum consanguineorum, quia tunc non admittitur heres patris vendentis ad retractum, *vt in l. Seia, ff. de evict. sta Tiraq. lib. 1. de retract. §. 1. gl. 9. n. 53. & 55. quem sequitur Matienc. vbi supra nu. 75.* 3

SVMMARIA.

1 *Proximior consanguineus an possit retrahere rem remotiori consanguineo venditam, late examinatur per totum quæstionem, tandem resolvitur quod possit.*

2 *Ratio quare introductus fuerit retractus iure sanguinis, est, ne res exeat de familia.*

3 *Res quæ prohibetur extra familiam alienari, potest relinqui vni ex familia.*

4 *Vasallo alienante fundum paternum in agnatum remotiorem, poterunt proximiores ab eo illum revocare (nisi ipsi prædicta alienationi consenserint) ac si in prorsus extraneum alienatus fuisset.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CL.

QVæro, † *vtrum si quis vendat remotiori consanguineo, proximior possit ab eo retrahere?* Et primo videtur, quod non, quasi tunc cessare videatur ratio retractus, ne scilicet res exeat de familia, sed in ea permaneat: Hæc námque est ratio retractus, vt constat ex † Tiraquell. *lib. 1. de retract. in præfatione, n. 33. & sequentib. & iterum §. 26. gloss. 1. num. 38. & §. 1. gloss. 8. nu. 4. & sequentib. Didac. Perez in l. 1. titul. 1. lib. 4. Ordin. col. num.* 1 2

1317.*vers.infertur*, *Matienc.in hac l.7.gl.2.n.1.* Qua ratione hanc sententiam probarunt Gerald.Bag. *in sua disput.retract.vers.quero consequenter,res est vendita alicui de genere,& Ferron. in consuet. Burg. hoc eodem tit.de retract.§.5.* licet conetur probare magna ratione contrarium statutum fuisse in eodem §.5.

3 Secundo† hęc eadem sententia probari videtur ex eo,quod cum res ex præcepto testatoris debet manere in familia,& sic quãdo prohibetur alienatio extra eam, satis est, vt relinquatur vni ex familia,per text. *in l.peto,§.fratre à contrario sensu,ff.de legat.2.*text.apertior,*in l.vnum ex familia,in princ.& sterum §.1.sancta gl. eod.tit.* vbi si testator jusserit heredem restituere vni ex familia, potest heres vnumquemque etiam posteriorius gradus eligere , nec alij proximiores ex hoc conqueri possent,& tamen si non eligant,admittuntur ad fideicommissum omnes , qui sunt de familia, sed ita vt proximiores ceteris præferantur,*iuxta gl 1. verb.necessaria*, per multa jura, quæ allegat, quam sequuntur Cuman.& Paul de Castr. *in dict.§.fratre,Soc. cons.127.incip.præsens consultatio , col.9 vers.ex quibus inferendo lib.2.Carol.Ruin.cons.101 super his, num.14.& sequentib.lib.2.vbique referens Tiraq.lib.1.de retract.lignag. §.11.gl.6.n.7* qui numerose quentibus alia plura jura refert idem probantia,& tandem *n.15.*congerit consuetudines plurium populorum apud Gallos in hanc sententiam, ita vt non levi ratione id factum constitutumque fuisse à tot populis videri debeat,*iuxta cap. prudentiam, in princ.de offic.delegat.* vbi scribitur integrum esse judicium , quod plurimorum sententijs confirmatur : sed hanc partem ex professo probat Montalu. *in l.11.tit.10 lib.3.for.gloss.magn.q.6.fol.156.* & Gom.Arias *in l.70.Taur.n.32.*

Sed nihilominus contraria sententia in proposito verior est & receptior,imo quod proximior consanguineus possit rem retrahere à remotiori etiam consanguineo,quia in proximiori potiora jura reperiuntur,& quia non potuit venditor jus eidẽ proximiori competens per leges nostri Regni ei auferre. Secundo pro hac † parte facit,nam si vasallus aliena verit fiudum paternum in agnatum remotiorem,perinde poterunt proximiores ab eo revocare (nisi ipsi consenserint atq; si in prorsus extraneum alienatus fuerit, vt est textus optimus *in c.vnic.Titius , & ibi Doct.si de feud.defunct.fuer.controvers.inter dom.& agna. sequuntur plurimi citati à Tiraqu.vbi supr.nu.* 4. Tertio facit,nam res alienata in consanguineum remotiorem, non est in tam propinqua familia tãmque conjuncta venditori,quam si proximior eam retraheret : & licet cum venditur remotiori,non exierit è familia, sive genere venditoris, proprior tamen est, vt omnino exeat, nisi à proximiore retrahatur. Quarto facit pro hac sententia gl *in cap.constitutus,verb.consuetudinem,*& ibi Abb. *in quinto notab.num 4.de in integr.restit.min.* vbi in specie consuetudinis,de qua in illo text.dicunt consuetudinem habere,vt si res vendita fuerit cõsanguineo remotiori , proximior admittatur ad retractum, & licet ibi illud haberet consuetudo, idem tamen de jure in nostra quæstione tenet & probat per *d. §. Titius,*& alia jura Ioan Faber *in §.ita demum,n.5.Institut.de hered.que ab intest.defer.* eandem sententiam sequitur Guiller.Bened.*in cap.Raynutius,in verb.& vxorem nomine Adelasiam, n.606.de testam.Decius cons.619.incip.licet in casu proposito,*vbi idem dicit consuluisse alios: idem voluit Ioan. Igneus & Chassan. eõsque referens Tiraq.*vbi supr.n.16.& sequent.*qui *n.19.* inquit se non audere discedere à tam clara Ioan. Fabri & aliorum in hac re sententia, & refert alias illius Regni consuetudines, juxta hanc sententiam : quam etiam sequitur Montalu.ibi contrarius *in d.l.13.tit.10. lib.3.for.in gl.Tanto por tanto,& in gloss.En ygual grado,* eamque expresse probarunt Cifuent.*1.quæst.Ant.Gom.n.13.in l.70. Taur.* & veriorem & receptiorem eam sequutus plures allegans testatur Matienc. *in hac l.7.gl.5.nu.12.* Pro qua sententia multum vrget , imo expresse facit nostra *l.7.huius tit.11.lib.5 Nova Collect.Reg.* ibi: *Y no fuere en ygual grado, aya la el mas propinquo.* Et quamvis loquatur in re vendita extraneo,concurrentibus duobus consanguineis ad retractum,vt præferatur proximior, idem tamen est eadem ratione, quoties remotiori venditur res patrimonialis vel avita : Nam propinquior poterit eam ab ipso retrahere , quia in hac materia circa retractum jure sanguinis,venditio nihil juris tribuit ad retrahendum , sed tantum jus sanguinis & proximitas.

Non obstant fundamenta contrariæ partis : & primo,quod in hoc casu videatur cessare ratio retractus, ne scilicet res exeat de familia, quia leges nostræ de hac re agentes, non solum hoc considerant,sed etiam quod proximior retrahat,& sic quod res remaneat in proximiore de familia volente eam retrahere: si autẽ simpliciter admitterent consanguineum,aut propinquum,tũc posset videri satis esse,si vendita fuerit res cõsanguineo etiam remotioris gradus,vt cesset ratio ipsius,& in hoc casu procedit hoc primum fundamentum contrariæ partis,quod cessat attenta nostra lege Regia in verbis supra relatis,quibus proximior prefertur remotiori.Non obstat & secundum, nam illud procedit , cum vni ex familia relictum est fideicommissum,tunc enim poterit heres vnumquemlibet ex familis eligere , secus si familiæ simpliciter relictum fuerit, nam tunc heres non poterit eligere remotiorem,quia si fecerit,admittẽtur proximiores ad revocationem alienationis , *per l.cum ita, §.in fideicom.ff.de legat.2.& notatur in l.fi. C. de verb.signif.*& ita rem hanc intelligit gl.*d.l.vnum ex familia,§.1.* quam nullus scriptorum improbat veluti omnes sequantur, secũdum *l.item quod Sabinus,in fi.ff.de hered.instit.*vt dicit Tiraq. *vbi supr.n.15.* & ita intellectus text.ille bene facit pro hac sententia Fabri & sequacium.

SVMMARIVM.

1 *Re vendita vni ex multis consanguineis proximioribus, ceteri eiusdem gradus admittuntur ad retractum pro æqualibus partibus vtiliter.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CLI.

QVæro † deinde , *si res vendita fuerit vni ex multis proximioribus , an ceteri eiusdem gradus admittantur ad retractum?* Et eos non esse admittendos,probari videtur, primo ex text.*in l.filiusfam.§.cum pater,ff.de legat.1.*vbi pariter filio herede instituto,ex quo tres habebat nepotes , fidei ipsius filij commisit , ne feudum alienaret, sed in familia relinqueret : si extraneo relinquit,omnes admittuntur ad fideicõmissum, si autem vni eorum tantum reliquit, cęteri non admittũtur.Secũdo, hæc pars adstruitur,quia feudum in proximiorem ceteris contradicentibus alienari potest, text.*in cap.1.§.sed etiam,*ibi, *nisi tibi,vel alij proximiori,& cap.1.in fi.per quos fiat investit.*Is autem dicitur proximior,quem nemo prẽcedit,etiamsi alij sint in eodem gradu, *l.qui duos,in princ.ff.de reb.dub.& in §.proximum, Institut.de legit.agnat.succeff.*ex quo Bald.*in l.vlt.col.fi.C. de suis & legitim.hered.* tenet, quod vnus fratrum potest eligere ex suis fratribus, quem velit investiri de feudo,per jura quæ ibi allegat, & ita in terminis nostrę quęstionis hanc partem tenet Ferronus *in consuetud.Burg.hoc tit.de retract.§.3.* quam comprobat adducta supra præcedenti quæstione pro priori parte. Nam si à remotiori non potest proximior retrahere, multo minus ab eo,qui æquali cum eo gradu est.

Sed his non obstantibus,cõtraria sententia verior est,imo quod in casu nostræ quæstioni ceteri consanguinei ejusdem gradus possint rem retrahere pro æqualibus partibus viriliter per nostram *l.7.huius tit.11 lib.5.Nova Collect.Reg.* ibi:*Y si dos o mas la quisieren, si son en ygual grade de parentesco, partanlo entre si.* Nam licet hęc lex loquatur,quando res venditur extraneo,quo casu consanguinei plures in eodem gradu exsistentes eam volentes retrahere,debent ipsam rem æqualiter inter se dividere, ita etiam dicendum est , quando venditur proximiori, & alij in æquali gradu eam retrahere volunt ab eo , nam inter omnes ipsos dividi debet.Pro hac etiam parte faciunt supra in quęstione prẽcedenti adducta pro secunda etiã opinione:nam si quando res patrimonialis & avita venditur cõsanguineo remotiori, proximiores possũt eam ab eo retrahere,quando venditur proximiori, ceteri in eodẽ gradu constituti, poterunt pro suis æqualib.partibus eam retrahere, quãdoquidẽ idem ac æquale jus sanguinis reperitur in omnibus exsistentibus in eodem gradu,eámq;petentibus:Et in terminis hanc sententiam breviter tenet & probat Ant.Gom.*in l.70.Taur. n.13.in vers.ex quo infero*, cujus opin. verissimam & tenendam esse existimo per supra dict.quam etiam veriorem esse dicit Matien.*in hac l.7.gloss.5.nu.17.* & eam prius probavit Alborn. *lib.3. Del arte de los contratos, tit.3.in vers. La principal diferencia, fol.102.col.3.in fine.*

Non obstat primum fundamentum cõtrariæ partis' ex text.*in l.filiusfam.§.cum pater, ff.de legat.1.* quoniam diversa ratio est inter casum illius tex.& nostrę quęstionis,& sic diversum jus statui debet.ibi enim jussus fuit filius heres institutus,ne fundũ alienaret,& quod in familia eum relinqueret,quod cõtigit, & verificatur vni ex nepotibus testatoris relinquẽdo, vnde ceteri cõqueri minime poterunt,cum filius adimpleverit voluntatem patris vni relinquendo.Nam,vt dicit ille text.verum est in familia reliquisse,licet vni reliquisset : hic autẽ proximioribus de familia jus defertur retrahendi rem patrimonialem, vel avitam vẽditam alteri,quam proximiori:& sic in extraneo vel cõsanguineo remotiori:Ergo si vendatur vni de proximioribus, ceteri ejusdem gradus poterunt ab eo pro suis virilibus partibus eandem retrahere.

Non etiam obest, quod feudum in proximiorem, ceteris contradicentibus alienari potest, vt in secundo fundamento cõtrariæ partis, & quod frater potest eligere vnum ex fratribus , quem velit investiri de feudo.Nam contrarium tenent plurimi,quos congerit Tiraq.*lib.1.de retract.§.11.gl.6.n.21.* vbi numeris sequentibus plures opiniones in hoc refert.Non etiam obsunt adducta pro prima parte supra in quæstione præcedenti, quoniam illis sufficienter ibi est satisfactum in secunda etiam parte.

SVMMARIA.

1 *Novem dies dati à legibus huius Regni consanguineis ad retrahendum, à quo tempore incipiant, an à tempore venditionis vel traditionis? Late differtur per totam quæstionem, & resolvitur à die venditionis incipere.*

2 *Etiamsi vera esset contraria sententia tenentium incipere dict. novem dies à tempore traditionis, sufficeret ficta traditio, qua fit per constitutum, precarium, vel alia.*

3 *Dicti novem dies non concurrunt consanguineo ignoranti venditionem, quando ignorantia oritur culpa, dolo, & calliditate vẽditoris & emtoris per industriam eo modo, loco, vel tempore contractum celebrantium, vt in notitiam consanguinei non perveniat , vt rem sic distractam retrahere non possit.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CLII.

QVæro † modo, *à quo tempore currant novem dies ad retrahendum,de quibus in hac l.an à tempore traditionis, vel venditionis?* Quæstio hæc satis controversa est &agitata in vtrãmque partem per nostros Hispanos. Et videtur , quod à tempore traditionis incipiant. Primo, quia ratio nostræ legis & similium est, ne res exeat de genere,vel de familia,sed in eo conservetur, vt supra est dictum:sed ante traditionem res non dicitur alienata,nec exire de genere,*vt in l.alienatum,ff. de verb.signif.*Ergo,&c.Secundo,quia quando in contractu emptionis & venditionis,vel similium, apponitur tempus solutionis,semper currit à tempore traditionis,& non à tempore contractus, *vt in l.talis,ff.de iure dot.l.12.tit.11.part.4.*ex quo Guid.Pap.*sing.*871.dixit, quod tempus contrahentibus præfixum ad redimendum rem venditam restituto pretio , non currit, nisi à tempore factę traditionis,de quo per Tiraq.*lib. 2.de retract.§.1.gl.2.n.63.* Tertio, quia si tempus curreret à tempore venditionis,& non traditionis,nõ posset faciliter venire in notitiam consanguinei, qui deberet retrahere , & sic faciliter dolose & clam fieret contractus solo verbo,ignorante cõsanguineo,vt excluderetur à retractu, & licet non requiratur scientia ipsius consanguinei per leges nostri Regni, hoc verũ est,postquam res venditur & traditur : quia tunc verisimiliter potuit venire in ejus notitiã: Et ita in terminis hanc sententiam tenet Io.Faber *in §.1.Instit.de emptio & vendit.* & Albert.*in l.filiusfam.§.cum fundum, col.1.in fi.ff.de verb.oblig.*& Bald.*in tract.protomis.col.pen. vers.quia non constat, nu.19.* & Matth.de Afflict.*in eodem tractatu,in princ.l.n.10.vers.item quero, pone quod facta est , & vers.sequenti , vol.5.tractat.d.vers.Doct.fol.317.* vbi tenet retractum non habere locum nondum re tradita, vel soluto pretio, vel parte ipsius, nisi de eo habita fuerit fides : sequitur Chassan. *in consuetud. Burg.rubr.10.§.1.verb. Vendu.in princ.Montal.in l.13.tit. 10.lib.3. For.gl.magn.7.col.in vers.ex quo infero, Ican,Lup. in l.74.Taur.num.6.* hanc sequitur, tam in judicando, quam in consulendo Ant.Gom.*in dict.l.70.Taur.n.16.* qui *nu.17.* etiam tenet,prædict.novem dies non currere à die fictæ traditionis, quæ fit per constitutum, vel alias,sed à vera &reali traditione,quoniam clanculum etiam fieri posset hujusmodi ficta traditio, quemadmodum & contractus principalis. Eandem sententiam principalem tenet Doct. Burg. de Paz, *cons.47.n.19.& 20.* dicens,eam tenere Vincen.Arias *in d.l.11.Fori.*

Sed contraria sententia mihi lõge verior & tenẽda in judicando & consulendo videtur,imo quod prædicti novem dies à nostris legibus Regijs concessi ad retrahẽdum incipiant currere à die venditionis,licet traditio rei,vel pretij solutio statim sequuta non fuerit.Primo,quia lex nostra loquitur simpliciter de vẽditione,neq; de traditione, seu dominij translatione, aliquid dicitur:igitur satis est si res fuerit vendita,*vt in l.1.ff.de contrah.empt.& per totum tit.& in §.1.de empt. & vendit.*vbi emtio & venditio cõtrahitur,& sic perficitur, simul atque de pretio cõventum sit,& sic solo consensu ante traditionem.Prẽterea lex nostra videtur in hoc expressa,ibi:*Y despues que fuere vendida hasta nueve dias,viniere, &c.* Ergo prædicti novem dies à tempore venditionis currere incipiunt. Nec obstat responsio Ant.Gomez,*vbi supra*, nempe quod debeat intelligi cum effectu consummato traditionis , *iuxta l. 1.§.hac verba , ff. quod quisque iuris , & in cap.re-*

latum de clericis non residentibus, & in c. hæc autem verba, de pœnit. dist. 1. perfecta enim venditio non dicitur ante traditionem, *§. vendite, ¶ Instit. de rerum divis. c. cum Ioannes in princ. de fide instrum.* quia leges nostræ nihil expresserunt de traditione, sed tantum de vēditione: & credendum est si voluissent, prædictos novem dies à tempore tantum traditionis computandos esse, hoc expressuras, cum id maxime referret. Præmaxime cū novam contineant decisionem adversus jus commune, de quo *in l. dudum, C. de contrah. empt.* Vnde exprimere debuissent: cum ergo hoc non fecerint, quin potius à tēpore venditionis computandos esse prædict. novem dies insinuēt, suppleri minime potest tempus traditionis: *argum. l. unic. §. sin autem ad deficientis, C. de cadu. tollen.* & venditio solo consensu perficitur ante traditionem perfectione essentiæ, *vt recte probat Aret. in l. si fideiussor, §. meminisse, col. 2. vers. super secundo, ff. de legat. 1.* quia licet emptor non sit dominus ante traditionem, habet tamen actionem ex empto, vt res vendita sibi tradatur, *l. ex empto, in princ. ff. de act. empt. cum similib.* Tandem vt hæc objectio radicitus evellatur, allego optimam & expressiorem legem hoc dicētem, quæ est *l. 27. tit. 1. lib. 7. Ordinamenti vet. ibi: Ca las heredades que son desta manera, bien pueden demandar fasta nueve, dias dende el dia que fuere vendida la tal heredad:* & ibi: *Segun se contiene en este libro en el titulo de las vendidas y de las compras.* Ecce ergo l. expressam sic interpretantem nostram legem, quæ est *l. 6. tit. 7. lib. 5. eiusdem Ordinamenti veteris.* Et quamvis l. illam 27. non inveniam transcriptam in hac nova Collectione legum hujus Regni, nihil obest: quia credo omissam, quia idem dicebat nostra *l. 7 huius tit. 11. lib. 5. Nov. Collect.* & vt resecarentur superflua, quamobrem fuit facta dict. Nova Recop. legum hujus Regni. Præmaxime quia idem expresse probat *l. 15. in fi. hoc eod. tit.* ibi: *Desde el dia que la vendida fuere fecha hasta nueve dias.* Non enim leges nostræ loquuntur in alienatione rei immobilis: tunc enim forsan subintelligendum esset, vt requireretur traditio, vt alienario esset cum effectu, sed in venditione, ab eóque tempore novem dies esse computandos disponunt, & quoties lex disponit de tempore respectu actus, incipit id tempus currere à die illius actus, *l. ait lex, ff. ad Aquil. l. annus, ff. de calumniat. l. mariti, §. sex mensium, ff. de adult. l. 1. §. dies, ff. de lib. agnosc. l. vlt. ff. de manum testam.*

Secundo & principaliter pro hac sententia solet allegari *l. 70. Taur.* quæ hodie est *l. 9. infra hoc tit. 11.* dum præcipit, quod retractus habeat locum in re vendita in publica subhastatione, & quod novem dies tunc currant à tempore *del remate.* Tertio facit *l. sciendum, la primera, §. tempus, ff. de edil. edict.* vbi similiter tempus in actione redhibitoria, & quanto minoris, currit à die contractus venditionis, & ibi notat glo. & communiter Doctores.

Et in terminis nostræ quæstionis hanc sententiam veriorem tenet Signorol. de Homod. *cons. 81. col. 2. n. 6. Tiraq. lib. 1. de retract. §. 1. gl. 3. n. 48. & sequentib. & iterum eodem §. 1. gl. 10. n. 108. & 111. & seqq. & §. 36. gl. 2. nu. 92. & Cifuent. in l. 70. Taur. in penult. colum. vers. secundo dubitatur*, dicens, quod ita quotidie practicatur: & ita etiam vidisse practicari testatur Ant. Gom. *ibidem n. 16.* & etiam teneri à majori parte Doctorum Vniversitatis Salmantinæ in quodam examine: eandem sententiam sequitur sibi contrarius Montalu. *in dict. l. 13. for. gloss. magn. col. 9. vers. item quæro à quo tempore*, dicens se nolle à verbis text. deviare: hanc etiam tenet Palat. Rubr. *in dict. l. 70. Tauri n. 31. idem in l. 70. n. 1.* & Gomez Arias *nu. 12. & 14.* Doct. Covar. *lib. 3. variar. resolut. cap. 11. n. 1.* qui plures refert, & hanc testatur veriorem & communiorem, & in praxi recepriorem, eam sequutus Matienc. *in hac l. 7. gloss. 6. numer. 10.* qui numeris sequentibus latissime eam probat, & respondet fundamentis contrariæ partis, & *dict. numer. 10.* dicit, se esse testem praxis hujus opinionis in hoc Regno.

Ex quibus non bene sentio de quadam opinione Ant. Gom. *2. tom. variar. resolut. cap. 2. nu. 17. ad fin.* existimantis, quod si res vendita sit patrimonij, novem dies, qui dantur ad retrahendum, currunt à tempore factę scripturæ, quando fuit à partibus requisita: nam cum leges nostri Regni de hoc agentes, à tempore vel die venditionis dicant currere, & à die *Del remate* in re publica subhastatione vendita, *vt est prædictum*, non video quomodo Ant. Gom. possit jure aliud dicere, etiam quando fuit à partibus scriptura requisita: quandoquidem leges prædictæ indistinctę, quod prædixi, disponant sicque hunc quoque casum comprehendant: quia licet quando requiritur scriptura, possint partes ante ejus confectionem pœnitere, cum tamen non pœnituerint, sed eam confecerint, non est curandum de facultate prædict. pœnitendi, quandoquidem ea vsi non sunt, & sic retractus incipit à die vēditionis, *O del remate* respective: quia si partes pœnituissent, non esset opus quærere de retractu, quandoquidem ipse cessaret: & ita ipsemet Ant. Gom. non multum figit pedes in dicta sua opinione, sed remittit ad materiam retractus, quam posuit in legibus Tauri, vbi prædicta non repetijt.

Quinimo † etiamsi vera foret prior opinio, vt prædicti novem dies inciperent currere à tempore traditionis (quod negamus) sufficeret ficta traditio, quę fit per constitutum, precarium, vel alias: quicquid dicat Ant. Gom. *dict. nu. 17.* vt rectius meo judicio existimavit Tiraq. *de utroque retract. tit. 1. §. 5. gloss. 10. nu. 53. & prius gl. 2. n. 28.* 2

Non obstar, quod adductum fuit pro contraria parte, nempe quod si prędicti novem dies inciperēt currere à tempore venditionis, nō verò traditionis, dolose & clam fieret contractus, ne veniret in notitiam retrahere debentis: quia respondeo hoc casu, nempe cum ignorantia contractus facti dolo & fraude vēditoris atq; emptoris suboritur, quia per industriam fit clam, fraude & dolo, aut nimia cautela † transferendo se contrahentes in aliud oppidū, vel si in loco incōsueto & incongruo, & non in oppido venditio fieret, vt consanguineus rem venditam non extraheret: nō currit terminus novem dierū consanguineo retrahere debenti, nec ei nocet pręd. ignorantia facto adversarij proveniēs, nec leges Regiæ decidentes terminū prædict. novem dierum currere contra ignorantes & absentes: nam debet intelligi de alia ignorantia pręter supra dictam, *vt late cum Tiraq. vbi supr. & alijs probat Doct. Burg. de Paz. cons. 37. per totum.* 3

SVMMARIA.

1 *Novem dies dati à legibus huius Regni consanguineis ad retrahendum, à quo tempore incipiant in contractu cōditionali, an à tempore contractus, vel purificat a conditionis? Late discutitur per totam quæstionem, & tādem resolvitur à tempore conditionis exsistentie currere, quid si ante traditio rei intercessit? Vide in n. 5.*

2 *Venditio conditionalis statim est perfecta antequam exsisterit conditio, adeo vt non liceat alteri contrahenti ab ea invito altero discedere.*

3 *Ex contractu vel alio actu conditionali dominium non transfertur, nisi conditione exsistente.*

4 *Sed an consanguineus possit statim venditione conditionali celebrata retrahere, non expectata conditionis exsistentia: quod possit.*

Eadem

Eadem l. 7. & sequentes.

QVÆSTIO CLIII.

QVæro † simpliciter, *à quo tempore incipiant dict. novem dies currere in venditione conditionali, an à tempore contractus, an vero à tempore purificat a conditionis?* Et videtur statim currere, non aliter exspectato conditionis eventu, *per l. 1. § biduum, ff. quand. appelland. sit, & in c biduum, in princ. 2. q. 6.* vbi si feratur sententia sub conditione, statim à die latę sententię incipit currere tempus ad appellandum: nec exspectandus est dies, ex quo conditio ipsius sententiæ extiterit. Secundo facit: quia in contractib. cōditionalibus inspici debet tempus contractus, non conditionis, *l. filius famil. & ibi Bart. & alij, ff. de verb. oblig. 2. §. ea quoque, ff. de collat. bon.* 2 *cum similib.* Nam † & venditio conditionalis statim est perfecta, antequam exsisterit conditio, vt dicit text. *in l. necessario, §. si ita res, ff. de peric. & com. rei vend.* adeo vt non liceat alteri contrahentium invito altero ab eo discedere, *vt dicit gl. ibi refertur que alios idem sequutos Tiraq. de retract. tit. 1. §. 1. gl. 10. n. 43.*

Tertio facit, quia si postea purificetur conditio, retrahitur ad tempus ipsius contractus, *vt in l. balneum, ff. qui potior. in pign. hab.* & per consequens retrotrahitur omnis effectus ipsius contractus: Ergo jam postea consanguineus non poterit retrahere, quia in consequentiam fictionis est translatum tempus novem dierum datum ad retrahendum. Quarto facit *l. 71. Taur. quæ est l. 11. infra hoc tit. 11. lib. 5. Nova Collect. Reg.* vbi habetur, quod quādo venditur in res habita fide de pretio, proximior consanguineus potest eam retrahere infra novem dies à tempore cōractus, præstita satisdatione de solvendo pretio in termino, quo emptor tenebatur solvere: ergo ita & eod. modo videtur dicendum, vt in venditione conditionali possit consanguineus proximior rem venditam retrahere, saltem præstita satisdatione de solvendo adveniente conditione. Et in terminis ita tenet Guid. Pap. *dec. 157. incip. caveatur de consuetudine, col. 1. vers. sed iuxta premissa*, & è nostris Alborn. *lib. 3. Del arte de los contratos, tit. 3. fol. 121 col. 3. vers. Acerca de los nueve dias.*

His tamen omnibus non obstantibus contraria sententia, imo quod in venditione conditionali novem dies concessi ad retrahendum rem venditam per cōsanguineum incipiant currere tempore conditionis exsistentis, non vero antea, est verior & tenenda in judicando & consulendo, quoniam ex contractu, vel alio actu conditionali dominium non transfertur, nisi 5 conditione exsistente, † *l. ei, qui ita heredi tatem, ff. de condit. instit. & in l. qui heredi, §. vlt. ff. de cond. & demonstr. cum simil. b.* & quia ante conditionis exsistentiam non est perfectus contractus nec obligatio, licet ex eo aliquod jus in spe causetur, *vt in l. hæc venditio ff. de contrahen. empt.* quare nec interim ex ea agi poterit, *vt in l. si pupilli, §. videamus, ff. de negot. gest. l. Græce, §. si sub conditione ff. de pign. l. 17. tit. 14. part. 3. late Tiraq. vbi supra n. 46. & 47. & iterum dict. §. 1. gl. 2. nu. 21.* Præterea pro hac sententia facit text. *in l. Titius, § procedit autem, ff. de excusat. tut. & in l. 1. §. annus, ff. quando de pecul. actio.* &c. Et ita in terminis nostræ quæstionis hanc secundam partem tuentur atque sequuntur plures relati per Tiraq. *dict. gl. 10. nu. 45.* qui eandem etiam probavit & *numeris sequentib.* & Montal. *in l. 13. tit. 1. for. magn. Nueve dias*, & iterum *in gl. magn. col. 12. in vers. item quaero quid si venditio.* & Cifuent. *in l. 70. Taur. col. penul. in vers. tertio dubitatur*, & Ant. Gom. *ibid. n. 21.* Gomez Arias *n. 31.* sequitur etiam idem Ant. Gom. *in 2. tom. var. resol. cap. 11. de qualitat. contract. num. 29. in effectu*, & Covar. *lib. 3. variar. resol. cap. 11. nu.* & hanc esse veriorem & receptiorem sententiam testatur Matienc. *in hac l. 7. gloss. 6. n. 43.*

Non obstat primum fundamentum partis contrariæ, nempe *dict. l. 1. §. biduum, cum simil. lib.* quia quando judex fert sententiam sub conditione, jam incipit gravare partem, *gl. in l. 3. §. 1. vers. hac pœna, in verb. experitur, ff. quod qui que iur. & ibi Bald. Tiraqu. alios allegans in dict. gl. 10. n. 48. & 49.* & ideo statim incipit currere tempus ad appellandum, *ita respondet Montalu. Tiraqu. & Matienc.* vt supra. Non obstat & secundum fundamentum, quod in contractibus conditionalibus inspici debeat tempus contractus, non conditionis impletę, quia hoc verum est, vbi jam conditio exstitit, quoniam tunc est purificatus contractus omnésque sortitur effectus, quos contractus purus *l. vlt. §. Titius, iuncta gl. ff. de vulg. & pupill. & ibi Doct.* ad implementum conditionis retrotrahitur per fictionem ad tempus contractus, *vt in dict. l. potior, & l. qui balneum in l. si. ff. qui pot in pign. hab. & l. 3. tit. 1. part. 5.* Nec obstat *dict. l. necessario, §. si ita res, ff. de pericul. & commod. rei vend.* quia ibi est perfecta venditio: Loquitur enim in conditione omnino exstitura, nempe si navis ex Asia venerit, sive non venerit, quare nil mirum, si perfecta appelletur, *vt ibi notat gl.* Tertia ratio de retrotractione non obest, quoniam illud est per fictionem. Nam vt dicebam, contractus vere minime perficitur, nec verificatur: nisi à tempore exsistentis conditionis, vnde merito vt potius à tempore veræ perfectionis contractus, quam fictæ incipiant currere dicti novem dies, juxta tradita per Doct. communiter *in l. si cui legetur, ff. de legat. 1. & per text. in d. l. 1. §. annuis, vbi etiam Doctor. ff. quand. act. de pec. &c.* Non obstat & quartum, hoc est, *l. 27. Taur.* quoniam loquitur tantum in contractu venditionis puro & perfecto habita fide de pretio: At in contractu conditionali nulla lex Regia loquitur in ista materia retractus, vnde ab alijs juris principijs argumenta sumi debent, quę sunt adducta pro hac secunda opinione.

Sed † esto, quod prædicti novem dies incipiant currere secundum magis receptam & veriorem sententiam à tempore adimpleræ conditionis, est dubium, *si consanguineus velit statim post venditionem retrahere ante adventum conditionis, an admittendus sit?* Quam quæstionem latissime ad vtramque partem agit Tiraquell. *de utroque retract. tit. 1. §. 1. gl. 2. nu. 21. & pluribus sequentibus*, qui tandem *n. 26. & 27.* partem affirmativam probare videtur, quia nihil interest emptoris, si interim admittat consanguineum ei offerentem pretium cum onere conditionis & qualitatis ipsius venditionis, cōsanguinei autem posset interesse, vt nunc admittatur, cum habeat promptas paratásque pecunias, quas forte non habebit adveniente conditione, & quod hanc partem videt passim apud Gallos servari, quamvis vix de jure communi obtineret, nisi ad traditionem rei esset processum, quia tunc transfertur dominium etiam ante impletam conditionem, *l. dotis fructus, §. vlt. cum l. sequenti ff. de iur. dot.* vt late comprobat, sic limitans supra dict. suam sententiam, *vbi supr. n. 28.* & hanc opinionem, quæ in Francia servatur, credit etiam apud nos Hispanos servari Matienc. *in hac l. 7. gl. 6. n. 40.* dicens, hoc potissimum procedere, si ad traditionem sit deventum, vt prædixi: credit tamen adveniente conditione ratificari debere retractum intra novem dies ab hac lege præfixos à tempore adimpletæ conditionis computandos, *iuxta l. bonorum, ff. rem rat. hab.* Quod de ratificatione, licet perquam vtile existimem, atque in dubio prope necessarium, præcisum tamen non judicarem, cum satis sit ante adventum conditionis intentatum fuisse in judicio retractum, si admissus tunc fuit consan-

gnineus,cum obligatione & confignatione pretii,ceterisq;requisitis interueniẽtibus,sin minus opus erit prædi. rarificatione intradict. nouem dies fieda à tẽpore implerę conditionis cum ceteris solemnitatibus à legibus nostris requisitis:quod autem supra proxime dicebamus de traditione ante conditionis euentum,intelligi debet,*vt infra statim asseremus.*

Nunc vero supra dicta magis cõmunis opinio,quæ habet,vt nouem dies concessi à nostris legibus Regiis ad retrahendũ,incipiant currere in venditione conditionali à tempore impletæ conditionis,venit limitanda *secundum Tiraq.d. lib.1.glo.10.nu.52. & seq.* si ante conditionis euentum traditio rei venditæ fiat; nam cum tunc etiam ante impletam conditionem dominium transferatur,*vt in d.l.dotis fructus,8. fin.cum l.seq. ff.de iur.dot.*credit hoc casu tempus currere,nisi traditio fuerit quoque conditionalis: Pro qua limitatione conducit tex *in argumentum in c.per tuas, cum similib.de condit.appos.*vbi probatur,quod sponsalia conditionalia per carnis copulam,& sic per traditionem corporum ante conditionis euẽtum transeunt in matrimonium verum de præsenti, quia per prædictam traditionem corporum,hoc est, carnis copulam, videtur à conditione recessum: sic igitur videtur dicendum in proposito,vt per traditionẽ rei vẽditę sub cõditione, ante ipsius cõditionis euẽtũ cẽseatur ab ea cõditione recessũ:quã limitationẽ moderatur ipse Tiraq.vt *p*cedat.si traditio facta fuerit in ipso instrumento venditionis,vt quia apposita est clausula precarij siue cõstituti, aut quia notarius in eodem instrumento fidẽ facit de traditione rei in sui præsẽtia facta:ita scilicet vt consanguineus simul, vbi resciuerit venditionem esse conditionalem, sciat quoq; rei traditionem, aut etiam aliter traditio facta fuerit,vt verisimiliter consanguineum non latuerit non magis quam ipsa venditio:quia palam facta fuit,vel etiam palam emtor incumbit possessioni,secus si traditio &possessionis apprehensio adeo clãdestina sit, vt de industria ita verisimiliter facta fuerit.quo consanguineus deciperetur fraudaretur;q;retractus,*vt ibi late probat Tiraq.n.53.*

Verum hæc limitatio Tiraquelli vera non videtur, quocunque modo fiat traditio, quia per eam minimẽ videtur in proposito recessum à conditione ,ac per consequens prædicti nouem dies non incipiunt currere hoc casu,nisi à tempore aduẽtus conditionis.Nã prædicta traditio rei in dubio cẽsetur facta sub eadẽ conditione,non vero pure & simpliciter , *vt ex Bart. deducitur in l.sub conditione,ad fin.ff.de solut.*Imo etiamsi per dictam traditionem simpliciter factam trãsfertur domnium.hoc non esset virtute contractus venditionis,sed titulo pro suo,caussato ex traditione, *secundum Anton.Gomez.in z. tom. var. resol.c.11.de qualita. contract.nu.29.*qui ex hoc fundamento (quamuis minime sufficienti meo iudicio) tenet contra supradictam limitationem neminem allegans , contrariũ etiam tenet idem Tiraquell.*dict. gl. z. num.31.*dicens,ita demum consanguineum admitti ad retractum venditionis conditionalis,si ad traditionẽ processũ fuerit,quia ex ea transfertur dominium,si non etiam sit conditionalis,vti in dubio præsumitur,nisi aliter dictum *vt sentit Bartol. vbi supr. quem ibi quoque allegat Tiraquell.& Bal.consil.477.colum.2. lib.* 1. Eandem sententiam aduersus prędictam limitationem sequitur Doct.Couarru.*lib.3.var. resol. cap.11. nu. 1. versic nec refert*:& simpliciter Matien.*dict.gloss.6.num.41.*&ità existimo verius esse tenendum contra prædictam limitationem,& sic supra dictam magis cõmunem sententiam indistinctę,vt prædicti nouẽ dies incipiant currere, à tempore adimpletæ cõditionis,etiamsi ad traditionem rei venditæ sub conditione fuerit processũ ante conditionis euentum , nisi constiterit per tradtitionem voluisse recedi partes à conditione , tunc enim tantum forsan obtineret prædicta limitatio.

SVMMARIA.

1 *Dies venditionis in materia retractus , an computetur in in termino nouem dierum,concesso à legibus huius Regni ad retrahendum , late discutitur per totam quæstionem: resoluitur non computari.*

2 *Quando dispositio,quæ tempus statuit,præponit huiusmodi dictiones, A, Ab, ex quo terminus statuitur , verbi gratia à die contractus ab appellationis die, ex die notificationis , tunc dies termini non computatur in termino:quia prædictæ dictiones sunt separatiuæ & exclusiuæ.*

3 *Dies præstiti consensus resignationis non computatur in termino 20 dierum, de quibus in regula de infirmis resignantibus.*

4 *Dies termini concessi ad appellandum, & ad probandas exceptiones legitimas in caussis exsequutiuis & ad retractum iure sanguinis,non computatur in termino.*

5 *An aliquid interfit quod venditio fiat in publica subhastatione, vel priuatim , ad hoc vt in materia retractus dies termini computetur , vel non in termino. Resoluitur nihil interesse,sed vtroque casu non computare in termino diem termini.*

Eadem l. 7.sequentes.

QVÆSTIO CLIV.

QVÆRO, † *an dies venditionis in proposito nostræ l. Reg.de retractu agentis computetur in termino nouem dierum , & sic an dies termini computetur in termino , ita vt si die Lunæ venditio fiat consanguineus teneatur rem retrahere vsque in diem Martis sequentis hebdomadæ , quo finiuntur prædicti nouem dies: an vero non computetur dies venditionis in termino, veluti in prædicto exemplo , an possit consanguineus retrahere vsque ad totum diem Mercurij eiusdem hebdomadæ sequentis:*Quæ quæstio de iure communi satis controuersa est , in qua sunt duæ opiniones contrarię , & plures limitationes vtriusque , vt optime lateq; disserit Tiraquell.*de vtroque retract. tit. 1.§.1.gloss.11. nu.16. & pluribus seqq. & Petrus Duennas in regul.196.& 197. cum suis limitationibus post Bernard. Diaz. in regula 190.& ibi nouissime ipsius Additionator Ignatius Salcedo , & latissime Ioan. Martinez. Matienc. in tract. de stylo Cancell. tit.1. præmiss. 17. casu 20. declar.3. gl.2.n. 2. & pluribus sequentib.*vbi resoluit, quid tenendum sit de iure Regio.

Vnde quoad nostram quæstionem specialem circa materiam retractus iure sanguinis,sumenda sunt fũdamẽta ex latè adductis per sup.dict.Doct.ex quibus quam plures affirmant, quod quando dispositio,quę tẽpus statuit,pręponit huius modi dictiones, *A, Ab, Ex*,† quo terminus statuitur,verbi gratia,*à die contractus,ab appellationis die , ex die notificationis*,tũc dies termini non computetur in termino:quia sunt separatiuæ & exclusiuę. & tenẽt plurimi,quos refert & sequitur Tiraq.*vbi supra 51.& sequent.*vbi *n.53.*pluribus probat , quod qui recte ac proprie loquuntur prædictis dictionibus,pro dictione, *Post*, quæ & separatiua est, sæpe vsurpant:ltaq; dictio *A*, vel *Ab*, de sui natura excludunt diem actus à termino , & tunc dies actus non computatur in termino,*vt in cstatutum, vbi gl. de praben.in sexte,ita Doct.Castell. in l.64.Taur.in gl.Desde el dia*, vbi hanc eandem sententiam tener , & inquit Gomez.*in regu. de infirmis resign. q.* 37. quod omnes in hoc communiter concordant , quod quando terminus est præfixus per dictionem *A*,dies termini non cõputatur in termino:inferens ex hoc in proposito d. regul. de infirmis resignantibus , quod dies præstiti consensus resignationis computetur in termino viginti dierum,de quibus in dicta regula, quia ipsa diponit à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos esse.

1

2

Ex † quo infertur,quod cum quinque dies dati iure Regio ad appellandum à sententia diffinitiva , *vt in l.1.tit.16.lib.3.Ordinat.veter.hodie l.1.tit.18.lib.4. Noua Collect.Reg.* incipiant currere, *Desde el dia que fuere dada la sentencia*,vt ibidem lex expressit, item & decẽ dies dati ad probandas exceptiones legitimas adversus exsequutionem currant. *Desde el dia que se opusiere el executado a la tal execucion, vt in d.l.64.Taur.hodie l.3 tit.11.lib.4.Noua Collect.Regiæ: Y los nueue dias que la ley del fuero,para sacar el pariente mas propinquo la cosa de patrimonio,o abolenge, por el tanto , quando se vendiere en almoneda publica, se cuenten desde el dia del remate, vt in l. 70.Taur.quæ hodie est l.9. infra hoc tit.11.lib.5. Noua Collect.Regiæ* , sicque prædictæ leges Regiæ in his tribus casibus supra enumeratis vtantur in statuendo prædictos terminos dictionibus *A*.vel *Ab* vt patet ex illis verbis.*Desde el dia*. Nam Latine dicũtur, *A die*,&c. consequens est,vt in dictis casibus,inter quos est nostler dies termini non computetur in termino : quod in specie *d l Tauri*,tenuit atque probavit Doct.Castel. *vbi supra*,& ibi late Palat.Rub *n.2.*& in specie *d.l.70. Taur.*tenuit idem Castell.*ibid.in gl.El dia,& Matienc. vbi supra,nu.6.& 7.*idem Matienc.*in præsenti l.7.gl.6,in in princ.n.11.*

4 Sed † contrarium in eisdem terminis retractus,imo quod dies termini & sic venditionis computetur in termino,sicque currat terminus de momento ad momentum tenet Palat.Rub.*in d.l.70.Tauri,nu.34.* quicquid dicat Montalu. *in d l.13.tit.10.lib.3.fori.* Hanc secundam sententiam tenet etiam &probat Ant.Gom. *in d.l.70.Tauri,num.* 15.vltra quem eandem partem in prædictis tribus casibus,nempe appellationis,oppositionis.*Del remate*, & retractus probat Petrus Duennas *in d.reg.179.circa fi.*& Ignat.Salced.*in addit.ad reg.* 170.Bernard.Diaz *etiam circa fin.ad notat.*& Didac.Perez,*vbi supra*, qui tres vltimi auctores hoc probari affirmant jure Regio in prædictis legibus Regijs supra relatis in eisdemmet verbis, quibus contrarium tenentes fundabant suam partem , nempe *Desde el dia*,existimant enim prædicti hujus secundæ opinionis auctores prædictis verbis , *Desde el dia* , exprimi dies esse incipiendos inclusive à prædicto termino, sicque eum comprehendere.

Quid tenendum ? Profecto ingens hæc est nostrorum antinomia, nihilominus tamen existimo tenendam esse priorem sententiam in casibus dictarũ trium legum Regiarum , in quibus leges vtuntur dictione *A* , vel *Ab* , ad indicandum principium termini, hoc est,quando terminus incipiat currere: illæ enim dictiones de jure separationem significant, & excludunt diem actus à termino , & significant proprie idem quod *post*, quæ dictio separativa est:hæcque siquidem sententia communis jure optimo appellari potest,quandoquidem eam profitentur prope infiniti auctores à Tiraq.*vbi supra,n.51.& 52.* relati,& vera etiam ex traditis ad ipsius comprobationem *ibid,n.53.* Quo fit,vt tenentes contrarium,& sic secundum partem,cum non satis perpenderint nec calluerint proprietatem& significationem supradictam dictionum, *A*, & *Ab*, non sint audiendi,imo lapsos fuisse faciliter existimandum sit tanquam adhærentes cortici literæ.

5 Posset † etiam instari adversus hanc sententiam,tenendam, quod quamvis *d.l.70. Taur. & l.9.infra eod.* loquantur per illam dictionem, *Desde el dia del remate*,sicque eis bene quadret atque conveniat prædicta expositio, vt dies termini non computetur in termino, nec currat de momento ad momentum : illud tamen verũ est ,quando res venditur in publica subhastatione,quo casu dict.leges loquuntur,nẽpe, *Que los nueue dias se cuenten desde el dia del remate.*Hócq;singulare jus videtur in illo tantum casu, vt significare videntur verba illa,*Se cuenten este caso.* Ergo extra eum, hoc est, quãdo res patrimonialis vel avita in publica subhastatione non videtur, sed alias privatim, aliud erit (hoc est) non à die venditionis,sed post vẽditionẽ prædictæ novem dies numerabuntur, sicque dies venditionis cõputabitur in termino eorundẽ novem dierum , & sic current de momento ad momentum, esseque videtur hæc differentia inter hos duos casus, nẽpe quando res venditur in publica subhastatione, & quãdo extra eam distrahitur: priori enim dies *Del remate* , non computatur in termino novem dierum: posteriori vero dies venditionis eis annumerabitur, quod manifestius cõstare videtur ex verbis nostræ *l.7 huius tit.11.lib.5.Nou.Collect.Reg.*quæ loquitur in venditione rei patrimonialis vel avitæ extra publicam subhastationẽ facta &inquit:*Y despues que fuere vẽdida hasta nueue dias viniere,si diere el precio,porque es vẽdida la heredad, ayala*:pondera verba : *Despues que fuere vendida hasta nueue dias.* Nam non dicit, *Desde el dia,que fuere vendida hasta nueue dias*, sic asserit, *d.l.70.Taur. & l.9.huius tit.* inter quæ multum differt.Nam dicendo: *Despues que fuere vendida*, statuit terminum ab ipso actu;hoc est, à venditione,vnde statim facta venditione incipiunt currere prædicti novem dies : At vero asserendo *Desde el dia del remate*,statuitur tempus ex die actus, ideo non nisi finito die incipit currere, vt cum judicio adverit , sic limitans superiorem communem sententiam Tiraq. *vbi supr.n.24.& 55.*

Hæc tamen differentia in nostro proposito & quęstione ratione carere videtur.Cur enim magis in vno casu,quam alio dies venditionis computandus est in termino novem dierum ? Addictio enim in publica subhastatione,hoc est,*El remate*,venditio est judicialis:quia interim dum res subhastatur, non fit venditio,sed tunc demum cum vltimo licitatori adjicitur:si ergo hoc casu dies *Del remate*, hoc est venditionis nõ computatur in termino novem dierum., secundum nos & communem sententiam, quare computandus est dies venditionis factæ extra subhastationem:Præterea hæc pars coadjuvatur, quia *per d.l.70.Tauri, hodie l.9.infra eod.*cum sit posterior videtur intelligenda atq; interpretanda in hoc lex antiqua Ordinamenti, hoc est , *l.nostra* 7. vt in ejus casu idem dicendum sit, nempe vt præfati novem dies ad retrahendum dati, cõputentur ab alio die immediate sequenti post venditionem,cum *d.l.70.* tãquam novior hoc declaraverit:nec vlla cõgrua differentiæ ratio inter duos casus, assignari queat: quare veriorem existimo etiam hanc vltimam partẽ,vt tam in casu nostræ *l.7.*quam *d.l.70. Tauri*, dies venditionis sive *Del remate* , non computetur in termino novem dierum , & sic quod præcedens communis sentẽtia principalis negativa in nostra quæstione sit tenenda indistincte & indiscriminatim,tam in casu hujus *l.7.* quam *l.9.infra eodem.* Nec obstat differentia verborum & dictionum supra subtiliter cõsideõrata, nempe quando terminus statuitur à lege ab ipso actu vel à die actus:hæc enim inanis est & non vera:nihil enim inter hæc duo interest, vt rectius sensit idem Tiraquell. *vbi supra, post alios quos refert numer.25.55.56.& 57. postremo l.15. titul.10.libr.3.fori*, loquens in casu nostræ *l.7.* inquit : *E del dia que fuere vendida , hasta nueue dias viniere* , &c. sicque vtitur eadem dictione A,vel Ab,qua vtitur *d.l.70.Tauri*,

SVMMARIA.

1 *Filius naturalis & sic bastardus an admittatur ad retractum iure sanguinis? affirmatur.*
2 *Bastardi etsi de iure non contineantur sub nomine familiæ & cognationis, nec liceat eis arma suorum prædecessorum portare atque deferre: aliud tamen est de consuetudine, iuxta quam bastardi nobilium & illustrium maxime magnatum sunt nobiles.*
3 *Spurius vel incestuosus vel natus ex damnabili coitu non potest retrahere iure sanguinis, quia non dicitur certus consanguineus, nec de domo, genere vel stirpe parentum.*
4 *Legitimatus ex rescripto Principis bene admittitur ad retractum.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CLV.

1 QVæro † etiam *an filius naturalis (& sic bastardus vulgo dictus) admittatur ad retractum iure sanguinis?* Et non admitti, duabus rationibus probavit post plures Dd. quos refert Tiraq. *de utroque retract. tit. 1. §. 1. gl. 8. n.* 7. qui numeris duob. sequentibus dupliciter limitat. Primo, si bastardus matri succederet. Secundo in retractu rerum vẽditarum à suis liberis legitimis, & ex diverso ejus liberi rerum ab ipso patre bastardo venditarum, & ipsi quoque liberi, & alij ab illo bastardo legitime descendente inter se, vtpote. qui sibi quoq; invicem succedunt: nam in prædict. casibus erit locus retractui, secundum eum & alios, quos refert, & rationes Tiraq. in sua principali opinione negativa hęc sunt, nempe quod in his bastardis, nothis & illegitimis cesset ratio retractus, quæ est, vt res remaneat in familia & agnatione, cum hi non dicantur esse de familia nec agnatione: Præterea quia cum illis cognatio non est, nec conjunctio ex parte patris secundum auctores, quos ibi refert: Eandem sententiam principalem negativam sequitur latéque comprobat, alios allegans in terminis nostrarum legum Regiarum, Didac. Perez *in l. 1. tit. 1. lib. 4. Ordin. vet. col. 137. vers. infertur secundo.* vbi amplius tenet post Tiraq. & reliquos ab eo citatos & Matth. de Afflict. *vbi infra n.* 34. nempe quod nec filij legitimi bastardorum admittendi sunt ad hunc retractum jure sanguinis, quod & sequitur Pelaez. *de maiorat. 2. part quæst. 2 nu.* 15. vbi alios refert: eandem sententiam principalem probat Matth. de Afflict. *in tract. protomis. in princ. l. n.* 42. vbi duplicitẽ limitat. Primo, nisi bastardi fuissent legitimati. Secũdo, nisi alias se haberet communis vsus loquendi, qui in regione est versatus, quia hodie de generali consuetudine isti bastardi portant arma domus, & vocatur de cognomine seu de casata, & consequenter de generali competeret eis jus cõgrui: eandem negativam sententiam cum distinctione tenet Doct. Castil. *in l.* 74. *Taur in gl. magn. col. antepenul. vers. vlterius quæro. & Ioan. à Roias in epit. success. cap.* 20. *n.* 185. vbi *n.* 107. limitat respectu rei venditæ à matre, cum ei succedit: & Doct. Spino *in specul. testament. gl.* 16. *n.* 30. & 31. eodem tertio modo limitans.

2 Sed † his non obstantibus, contraria sententia verior est & tenenda, imo quod filij naturales, bastardi & illegitimi vulgo nuncupati jure possint retrahere rem immobilem venditam patrimonialem vel avitã, quoniam in dispositione legali, quæ fundatur jure naturali, sanguinis seu cognationis & æquitate, comprehenditur naturalis tantum, nisi ex qualitate personæ aliud colligatur, *vt in l ex facto, § si quis rogatus, el primero, ff ad Trebell.* Secundo, quia vbi agitur de privilegio & cõmodo filiorum in æquitate fundato, appellatione filiorum, naturales tantum comprehẽduntur: *arg. text. an l. vlt. C. de confirmand. tut. per quem text. ita tenet Abb. in c. in præsentia, n.* 12. *de probat. quem ibi Dd. sequuntur,* & probat text. *in l. Lucius, §. si vers. quia creditur ff. de legat. 2. Alex. in l. ex facto, §. si quis rogatus. n.* 16. & *iterum n.* 50 *ff. ad Trebell. Rebuff. de privileg. scholar. privileg.* 177. *n.* 7. *vol.* 11. *tract. fol.* 120. *in antiq.* Tertio, quia lex nostra, quæ retractum permittit, non vtitur ita scriptis dictionibus, vt solum ipsos legitimos ad jus istud vocet, etiamsi illegitimos expressim non vocaverit. Inquit enim: *Y alguno de aquel abolengo la quisiere,* &c. Naturalis in rei veritate est de illo sanguine & linea. Igitur, &c. Et in terminis hanc partem probarunt Vago & Boer. relati per Tiraq *vbi supr. n.* 4. & *è nostris Cifuent. in l.* 70. *Taur. col. 2. vers.* 4. *dubitatur*, dicens, ita fuisse judicatum in contradictorio judicio in civitate Ovetensi, & ibi eandem opin. sequitur Ant. Gom. *n.* 4. idem *in l.* 9. *& seqq. Taur. n.* 54. quam etiam sequitur & veriorem atque receptiorem profitetur Matienc. *in hac l.* 7. *tit.* 11. *lib.* 5. *Novæ Collect. Reg. gl. 2 nu.* 3. Non obstant rationes adductę pro priori parte, quoniam negari non potest, quod hi filij naturales vel bastardi sint cõsanguinei atque de sanguine & progenie suorum prędecessorum, quorum res immobiles retrahere volunt, sicq; non cessat in eis, imo concurrit ratio retractus. Præterea & secundo, quoniam etsi de jure bastardi non contineantur sub nomine familiæ & cognationis, nec liceat eis arma suorum prędecessorum portare atque deferre, *vt tenet Bald. in l general. ter, §. cum autem. n* 6 *C. de instit. & substit.* &c. Sequitur plures referens Pelaez. *vbi supr. n* 19. *& Molin. lib.* 1. *de Hispan. primogen. cap.* 4. *n.* 45. *cum seqq.* Aliud tamen est de consuetudine, juxta quam bastardi nobilium & illustriũ maxime magnatum sunt nobiles, vt cum alijs resolvit Matienc. *vbi supr. n.* 5. dicens hoc in nostra servari Hispania, & in filijs naturalibus late idem probavit Benedict. de Baizis *de filijs non legitime natis, in princ. n.* 8. *cum seqq. & nu.* 13. *vol.* 6. *tract. fol* 287. *in antiq.* & in bastardis de consuetudine, secus de jure, idem affirmat Roias *in epit. success. cap.* 15. *n.* 22. Et vius obtinuit, quod illegitimi de ejus domo & familia censeantur, cujus & filij habiti sunt. *Sec. cons.* 102. *lib.* 4. *Corn. cons.* 169. *l. b. 3. col. fin. Angel. cons.* 30. *&* 191. *Cardin. Paleot. de nothis spurisque filijs, cap.* 60. *nu.* 5. *quos refert & sequitur Caball. in addit. ad cons.* 34. *Ant. de Butrio.*

Hæc † tamen recepta sententia limitatur in spurio 2
vel incestuoso vel naturali ex dãnabili coitu, qui nullo modo potest retrahere jure sanguinis, quia non dicitur certus consanguineus, nec de genere, domo vel stirpe parentum vel ascendentium: ita tenet & probat Ant. Gom. *in l.* 70. *Taur. n.* 4. *ad fi. idem in l.* 9. *nu.* 54. *cum Villadieg. contra Montalu in l.* 3 *tit.* 10 *libr.* 5 *for. gloss. mag. col.* 13. *versic. item quæro*, qui aliud tenebat in filio spurio, nempe posse retrahere. Sed hanc limitationem sequitur etiam Matienc. *vbi supra, n.* 6.

Legitimatus † autem ex rescripto Principis bene admittitur ad retractum ex lege Regia, *vt cum Carol. Molin. & Matth. de Afflict. adversus Dec. & Tiraq. probavit doct. Covar. in* 4. *de sponsalib. 2 part. c.* 8. §. 10. *n.* 3.

SVMMARIA.

1 *Leges nostri Regni de retractu agentes tam iure sanguinis, quam communionis, an comprehendant clericos, constituuntur quatuor casus, & in omnibus affirmative resolvitur.*
2 *Clericus potest retrahere à laico rem avitam vel patrimonialem cui fuit distractu.*
3 *Clerico vendente rem patrimonialem vel avitam laico, habet etiam locum retractus.*

4 *A cle-*

4 *A clerico emptore habet locum retractus.*
5 *Actio ad rem immobilem retrahendam, licet dicatur personalis, est tamen in rem scripta, & sic sequitur possessorem.*
6 *Clericus, à quo res retrahitur, conveniendus est coram iudice suo Ecclesiastico.*
7 *Retractus habet locum etiamsi venditor & emptor sint clerici.*

Eadem l.7.& sequentes.

QVÆSTIO CLVI.

1 QVæro † præterea *an leges nostri Regni de retractu agentes tam iure sanguinis, quam communionis comprehendant clericos & personas Ecclesiasticas?* Quæ quæstio quadrupliciter potest constitui: Primo, quando laicus vendidit rem laico, est tamen clericus cõsanguineus, qui vult eam retrahere tanquam sui patrimonij vel avitam, Secundo, quando clericus vendidit rem laico, quam etiam laicus vel clericus vult retrahere. Tertio, quando laicus vendidit rem clerico à quo laicus vel clericus consanguineus vult eam retrahere. Quarto, quando clericus vendit rem clerico & laicus vel etiam clericus jure sanguinis retrahit eam.

2 Circa † primum membrum, quando laicus vendit rem laico. est tamen clericus consanguineus, qui vult eam retrahere, quæstio est indubia, quia clericus potest retrahere rem patrimonialẽ vel avitam, quæ fuit à laico distracta, ex text. in hoc expresso *in cap. constitut, de restitut. in integr.* qui non eget inductione adeo clarus est: vbi in id expendunt Ancharan. 7. *notab.* Panormitan. 5. *notab.* inferens ex eo clericos vti posse statuto vel consuetudine laicorum mere favorabili & generali, de quo etiam dicit esse bonum text. *in cap. dilecti, de foro compet.* & hanc sententiam indubitatam sibi videri affirmat Tiraq. *de utroque retract. tit. 1. §. 1. gl. 8. n.* 41. ex supradictis fundamentis allegãs plurimos Doctores idem tenentes, nempe clericos vti posse statuto vel consuetudine laicorum mere favorabili & generali, & indubium affirmat idem Tiraq. *d. §. 1. gl. 13. n.* 2. & est casus indubitabilis, secundũ Marant. *disputat.* 8. *n.* 35. loquentem in jure congrui, quia nullum obstaculum vrget, cum ambo sint subditi Imperatoris, nẽpe venditor & emptor: & testatur hanc esse communem opin. ex testimonio Matthæi de Afflict. & Dec. Matienc. *in hac l.* 7. *gl.* 2. *n.* 1. vbi etiam quod verius & receptius: sequitur Ant. Gom. *in l.* 70. *Taur. n.* 7. *post Castell. ibid. gl. magna col.* 5.

3 Circa † secundum membrum, nempe quando clericus vendit rem patrimonialem vel avitam laico, dico idem, nẽpe quod habet locum retractus jure sanguinis, quia licet ex parte venditoris retractus sit onerosus seu potius lex eum inducẽs, quare videbatur clericum vendentem minime comprehendere: tamen postquam res devenit ad laicum titulo emtionis. lex facit suum effectũ immediate contra subditũ possessorem vocando sanguinem proximiorem. Præterea res transit cum suo onere, hoc est, vt retrahi possit jure sanguinis, vt statim dicemus in tertio membro, quare hanc sententiam, loquens etiam in retractu jure congrui, qui est similis retractui jure sanguinis, probavit Marant. *vbi supr. d. disputat.* 8. *n.* 50. & in nostro retractu jure sanguinis, idem tenet Tiraq. *de utroque retract. tit.* 1. §. 1. *gl.* 13. *n.* 11. *& Palat. Rub. in l.* 70. *Taur. n.* 16. *& ibi Ant. Gom. num.* 7. quam sententiam probat atque sequitur Matienc. *d gl.* 2. *n.* 18. licet Ripa refragetur *lib.* 1. *respons. cap.* 2. *in* 1. *dub.* Nam Doctores nostri tenent locum esse in hac specie retractus, quoniam clerico venditori nulla fit injuria, cum eidem pretium conventum prẽstetur, nec ad vllam teneatur evictionem ratione retractus, sicut in minore & infante resolvit Tiraqu. *d. gl.* 13. *n.* 13.

Tertium † membrum est in clerico emptore, *an ab eo habeat locum retractus iure sanguinis?* Et quidem in hoc 4
casu est nostra quæstio habetq; maximam difficultatem: videtur enim, quod nõ habeat locum hac in specie prædictus retractus adversus clericum emtorem, quoniam dispositio harũ legum nostri Regni introducentium retractum jure sanguinis, magis afficere videtur personas, quam res, quo fit, vt non comprehendat clericos *vt in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de cõstit. & in cap. vlt. de vita & honest. cleric. cum similib.* quoniam leges & statuta laicorum, quando sunt contra libertatẽ Ecclesiasticam & clericis onerosa, nõ ligant ipsos clericos, *vt in Authent. cassa & irrita, C. de sacrosanct. Eccles. & ibi Salycet. & Doctores, late Felin. in d. cap. Ecclesia sanctæ Mariæ.* Et quod hæ leges sint onerosæ clericis, sicq; contra libertatem Ecclesiasticam probatur: quoniã per eas prohibentur clericis ea, quæ sunt sibi cõcessa jure communi, quo casu sunt contra libertatem Ecclesiæ, *secundum Felin. vbi supr. col.* 21. *n.* 69. *vers. tertia fuit opinio, &c. & ibi Ant. de Butr. & Imol. & in cap. cum terra, de el vt. Fulgos. in d. Authent. cassa & irrita.* Sed jure communi vnicuique licet disponere de re sua ad libitum, *l. in re mandata, cum similib. C. de mandat.* nec etiam quis compellitur emere vel vendere, *vt in l. nec emere, C. de iure deliber. l. invitum. C. de contrah. empt.* Sed per jus retractus clericus emptor privatur hac libertate. Ergo, &c. Et in terminis in favorem clerici emptoris facit, quia retractus est contra jus commune, *vt infl. dubium, C. de contrahend. emt.* Ergo leges nostræ Regiæ eum permittentes, tanquam gravosę clericis eos non comprehendunt. His & alijs duodecim fundamentis hanc partem negativam in favorem clericorum ementium ornat Marant. *d. disputat.* 8. *n.* 1. *& seqq. vsque ad nu.* 16. inclusive & in terminis retractus jure congrui eam tenet Matth. & Afflict. *in tract. protomis. super constit. sancimus, § si. eusdem constit. in* 5. *vers. sed si clericus, n.* 15. 16. & 17. alios allegans & dicens, quod hæc opinio videtur verior de jure, licet de facto male servetur: Idem tenet Bald. Imol. Panor. Alex. in locis à Tiraq. citatis, *vbi supr. d. gl.* 13. *nu.* 3. & Montal. *inl.* 13. *gl. magn. colum.* 10. *vers. item quæro nunquid ista lex liget clericos, tit.* 19. *lib.* 3. *fori.*

Nihilominus tamen contraria sententia, id est affirmativa, & sic quod hoc casu habeat locum retractus adversus clericum emtorem tam jure sanguinis, quã alio quocũq; titulo juridico est verior, receptior & in praxi tenẽda quam alijs duodecim fundamẽtis comprobat & sequitur Marant. *vbi supr. d.* 8. *disput. n.* 17. & *plurib. seqq.* Sed potiora fundamenta hujus opin. sunt duo vel tria. Primũ quod hoc casu concurrat eadem ratio & æqualitas, quæ inter laicos, nempe quod sit patrimonialis vel avita, & retrahens proximior consanguineus & leges nostri Regni de hoc agentes sint generales & cõmunes laicorũ & clericorũ, & vtrisq; vtiles esse possunt. Ergo comprehendunt & ipsos clericos, præcipue cũ hoc jus retrahendi jure sanguinis, sit etiam à jure Canonico cognitũ & permissum, *vt in d. cap. constitutus, de in integr. restit.* & late resolvunt atq; probant Dd. infra citandi. Secundum fundamentum est, quoniam negari non potest, † quin hæc actio ad 5
rem immobilem retrahendam, licet dicatur personalis, sit tamen in rem scripta, quandoquidem dirigitur contra emptorem, & sic sequitur possessorẽ, vt declarat Afflict. *vbi supr. §. 2. incip. vt intra* 30. *dies in* 11. *notab. n.* 45. & constat ex nostris legibus & communi earum praxi, & præterea tenet cum alijs, quos refert Marãt. *disput.* 9. *n.* 2. dicẽs, actiones personales in rem scriptas habere similitudinẽ realium, & sequi possessorẽ, *vt in*